

VI. *An Illustration of the Genus Solandra.* By Richard Anthony Salisbury,
Esq. F. R. S. and L. S.

Read November 4, 1800.

CUM in variis amabilis Botanices Scientiæ partibus, id mihi constanter propositum fuit, ut rariores stirpes in horto, si quando fructum maturaverint, eas demum accurate intelligerem, forsan non dedignetur Societas Linnæana observationibus quibusdam quæ *Solandram* illustrent: genus longe pulcherrimum æque ac distinctissimum. “Attamen Angli hanc recepere teste horto Kew,” in *Linn. Præl.* p. 392. observat Giseke. Lamarck, in *Journ. Hist. Nat.* v. I. p. 369. asserit, “que ce pretendu genre est une veritable espece de *Datura*.” Utinam sane more parco auctoris Horti Kewensis nova genera reciperent alii Botanici, quippe qui ingenii acumine venerando suo præceptori Linné parum cedens, ne unicum genus, secundum nostrum tantillum judicium, in eo libro inseruit, quod non summo jure distingui debet. Fatendum est autem neque characterem hujusce generis in *Vetensk. Acad. Handl. ann.* 1787. p. 301. primo propositum, neque alterum ab eodem auctore in suâ *Fl. Occ. Ind.* v. I. p. 386. nuperrime publici juris factum, omnino attigisse felicitatem, quâ nostris temporibus plures novæ stirpes dignoscuntur. Fructu certe gaudet *Daturæ*. Folia vero constanter alterna, nec per paria in ramis florentibus approximata, inflorescentia, corolla irregularis cum æstivatione limbi, hæc omnia a veris *Solaneis* adeo late recedunt, ut multo potius in proprio Ordine, cum consimilibus stirpibus *Brunfelsiâ*, et *Crescentiâ*, locarem. Affinitatem cum *Besleria* video nullam.

SOLANDRA.

Torus medioliformis. *Calyx* margine tori insertus, tubulosus, persistens. *Corolla* margine tori inserta: limbo ventricoso, irregulari, subæstivatione imbricato; decidua. *Filamenta* 5, ore tubi inserta, versus latus inferius secunda. *Pericarpium* superum, pene totum 4-loculare, succulentum, deciduum. *Semina* receptaculo longe stipitato, centrali, profunde 2-loba, undique sessilia.

Solandra grandiflora. Swartz *Fl. Ind. Occ. v. 1. p. 386. t. 9.* *Solandra grandiflora.* Mæn. *Exot. Bot. t. 6.* *Solandra grandiflora.* Swartz in *Vctensk. Acad. Handl. ann. 1787. p. 300. t. 11.* *Stramonium scandens, flore luteo.* Plum. *Ic ined.* Peach-coloured trumpet flower, *Jamaicensibus.*

Sponte nascentem in Inf. *Jamaica*, in truncos arborum sæpe parasiticam fissurisque rupium, legit O. Swartz.

Floret *Januario, Febuario*, fructum maturans *Augusto.*

Frutex 9—20 pedes altus. *Radix* fusca, longe excurrens, ramosissima, spongiose lignosa. *Caulis* cinereus, scandens, teres: Rami multi, varie flexi, alii longissimi: plus minus radicans, rimosus; superne pallide viridis, viscido-pubescentis; spongiose lignosus. *Folia* densa, alterna, frondosa: Petioli viridi-purpurascens, recurvuli, semiteretes, viscido-pubescentes, supra concavi lineâ medio eminente: Laminæ supra virides, subtus pallidiores, petiolis multo longiores, recurvo-patentissimæ, obovato-lanceolatæ, integerrimæ, acuminatæ, utrinque viscido-pubescentes, paululum lucidæ, planiusculæ, carnosæ: Nervi plures, mediis crassior petioloque confluentibus: quottannis prodeuntia et decidua. *Flores* fragrantis, nutantes, solitarii, rarius 2 vel 3 fasciculati. *Pedunculi* pallide virides, ramulis terminalibus, crassi, 4-5 lineas longi, obconici, insertionibus articulatis, minutissime viscido-pubescentes. *Torus* pallide viridis, pedunculo confluentibus quo brevior et crassior, medioliformis, obsolete angulatus,

minutissime viscido-pubescentis. *Calyx* pallide viridi-purpurascens, margine tori insertus, 3 pollices longus vel plus, erectus, tubulosus, 5-angulus lateribus concaviusculis, sub florescentiâ per angulos duos vel tres breviter & inæqualiter fissus, postea fructu intumescente sæpe profundius usque ad basin: laciniæ erectæ, femilanceolatæ, integerrimæ, acuminulatæ: minute viscidulo-pubescentis potissimum intus, extus nonnihil lucidus, persistens. *Corolla* margine tori inserta, 7-8-pollices longa: Tubus pallide viridi-flavus, calyce parum brevior, versus latus ejus inferius declinatus, inferne vix 3 lineas diametro, superne sensim dilatatus, 5-gonus, ad insertionem filamentorum extus depressiusculus: Limbus maximâ parte albidus, tubo multo longior; inferne infundibuliformis; mox admodum ventricosus fauce circiter 2 pollices diametro; dein recurvus ore summo $4\frac{1}{2}$ pollices diametro, breviter 5-fidus; per indivisam partem obsolete 10-angulus, angulis 5 ab inferioribus tubi continuatis intusque Vittâ obscure purpureâ coloratis, 5 ab insertione filamentorum enatis multo tenuioribus intusque Vittâ obsoletissimâ vel nullâ: Laciniæ extus læte purpurascensculæ interstitiis basi minute suborbicularibus, exquisitissime ciliatæ; 1 extima, semiorbicularis, repandula, plana; 3 interiores majores latere altero quod æstivatione includitur dilatato incisocrenato crispoque; 1 intima, maxima, semiorbicularis, tota elegantissime crispo-crenulata: inferne extus glabra, cæterum lævis, coriacea, decidua. *Filamenta* 5, pallidissime viridi-flava basibus obscure purpureis, ore tubi inserta, decurrentia, limbo circiter dimidio breviora, deorsum secunda, incurva, approximata, subulata, glabra. *Antheræ* pallidissime viridi-flavæ lateribus purpureis, basi insertæ ibidemque breviter 2-fidæ, filamentis longe breviores, erectæ, nonnihil lunulatæ, 4-angulæ, mucronulatæ, 2-loculares: Valvæ 4, 2 anteriores paulo angustiores et rectiores: lateraliter dehiscentes; post anthesin obscure purpureæ, paulo minores, inæquilateraliter

quilateraliter ovata, valde compressa. *Pollen* pallidissime flavum. *Pericarpium*: castum pallidissime viridi-flavum, disco tori superum, pyramidale, laeve: gravidum $1\frac{1}{2}$ -2 pollices longum, ovatum, fere usque ad apicem 4-loculare, dein septis 2 parietalibus sensim deficientibus 2-loculare; receptacula 2, centralia, longe stipitata, profunde 2-loba, varie repando-sinuosa: parturiens succulentum, deciduum, putrescens. *Stylus* apice purpurascens, directione filamentorum quibus tenuior et altior, teres, glaber. *Stigma* pallide viride, compressum, minutissime pubescens, tenuiter canaliculatum. *Semina* plurima, ferruginea, receptaculo undique sessilia, reniformia, 2-cotyledonea.

Consistentiam fructus in uno eodemque genere, admodum variare tot docent exempla, ut vix unquam istâ solâ notâ plantam abluentem ab affinis separarem: structuram ejus contra, in diversissimis generibus simillimam esse, multæ aliæ stirpes Classis 8-væ *Juss.* *Gen.* præter hanc de quâ supra agitur, probant.

EXPLICATIO TAB. VI.

- Fig. 1. Corollæ tubus cum insertione genitalium.
 2. Pericarpium submaturum.
 3. Idem juxta medium transverse sectum, ubi 4-loculare.
 4. Idem juxta apicem ubi 2-loculare.
 5. Semen maturum.